

à suspensione, si hæc ab initio lata fuit, sed etiam ab objecto crimine, ità ut reus declaretur innocens, suoque honori et famæ restituatur, neque deinceps super eodem crimine accusetur, nisi nova infamia et indicia criminis superveniant: ità *Can. 6. et seqq. 2. q. 5. c. 8. 10. h. t.*

3.º Effectus purgationis, ut *recusata* aut *non prestita* est, quòd reus deficiens in purgatione, seu nolendo jurare, seu non habendo compurgatores, habeatur pro convicto, et pœna ordinaria vel plerùmque arbitraria puniri possit (*cap. 7. v. deficientem, hoc tit.*) Quòd si iudex Ecclesiasticus clericum in iudicio purgationis degradatum Curia seculari tradat, non potest laicus illum punire pœna mortis; quia non fuit verè convictus, sed tantùm præsumptivè, aut interpretativè: seùs si delictum confessus aut plènè convictus fuit.

188. Q. IV. *An modi purgationis vulgaris sint liciti?*

R. 1.º Negativè (*Can. 7. 20. caus. 2. q. 5. c. fin. de purg. vulg.*); nam modi isti sunt cum superstitione gentiliùm et præstigiis conjuncti, inepti ad veritatem manifestandam, et quibus Deus tentatur ad faciendum miraculum; uti sunt duella, contactus ferri candentis vel aquæ ferventis, fluxus sanguinis ex cadavere occisi ad præsentiam occisoris etc.

Dices:—I. Adulterium apud judæos probabatur per aquas amarissimas (*Can. 21. in libro 2. q. 3. ex Num 5. v. 18.*)—II. In lege nova extant plura exempla purgationis vulgaris: S. Brictius enim tulit arden-tes prunas in veste sua usque ad sepulchrum S. Martini; et multæ Sanctæ contactu ferri candentis suam innocentiam probaverunt; et *Can. 24. Conc. Mogunt.* occidens presbyterum, si servus sit, purgare se debet super 12 vomeres arden-tes.

R. *Ad I.* Probatio ista, ob promissionem divinam olim fuit licita; hodie verò cessat cum aliis cæremoniis judaicis.—*Ad II.* Miracula ex instinctu S. Spiritus facta, non sunt trahenda ad exemplum: *cit. c. 24.* reprobatus est à pluribus Pontificibus, et ideo *c. 2. de penitent.* omit-tuntur illa verba: *super duodecim vomeres ferventes se expurget*, quæ ponuntur in *palea; qui presbyterum 17. q. 4.*

2.º Sententia lata ex purgatione vulgari, est invalida; nam est contra ordinem judiciarium, et nititur fallacibus probationibus: unde reformari debet, comperta veritate: sicut *cap. 2. hoc tit.* cadentes in duello purgativo, dum furtum apud alios repertum fuit, recipiunt omnia bona, quibus spoliati erant.

TITULUS XXXVI.

DE INJURIIS ET DAMNO DATO. ^a

189. Nota, ex *pr. Inst. h. t.* injuriam tripliciter accipi:—1.º Pro omni eo, quod non jure fit.—2.º Pro damno culpa dato, sicut in L. Aquilia.—3.º Specialiter pro contumelia seu dolosa læsione honoris alieni. Idem docet Ulp. *l. 1. ff. h. t.* Item accipitur injuria pro injustitia et iniquitate: et in hoc sensu complectitur omne peccatum contra justitiam, quo læditur jus alienum. Hic agam:—I. De injuria accepta pro contumelia.—II. De injuria accepta pro damno culpa dato.

§. I.

De Injuria contumeliosa.

190. Q. I. *Quibus modis fiat injuria seu contumelia?*

R. 1.º Duobus: *re*, seu *facto* in corpus, dignitatem et famam: ut si qui alterum verberet, alapam ei infringat, matronæ honestæ comitem abducat, pudicitiam matrisfamilias vel prætextatæ seu virginis ingenuæ attentare, aut affectare præsumat, putà sequendo illam ex intentione stupri inferendi. *Verbis*, sive prolatis in dedecus alterius, et tunc est *convitium*: quasi *convocium*; sive scriptis, et tunc est *famosus libellus* (*l. 1. 15. §. 2. ff. h. t.*): ut si quis alterum compellet furem, adulterum, illegitimum, servum etc. Multa et pulchra exempla injuriarum legere utiliter poteris *ff. h. t.* Ex his colliges injuriam aliam esse *realem*, aliam *verbalem*; et utramque, vel *levem*, qua leviter honor proximi læditur, vel *gravem* seu atrocem, qua attentis omnibus circumstantiis, graviter honor læditur.

2.º Injuria censetur committi in seqq. casibus:—I. Si quis verum crimen alteri objiciat extra iudicium; nam hic adest animus injuriandi,

^a—Agitur de hac materia in Sexto *h. t.*—In Decreto 15. *q. 4.*—Et in jure civili de injuriis agitur in Institut. *lib. 4. tit. 4.*—In Pandectis *lib. 47. tit. 9.*—In Codice *lib. 9. tit. 35. et 36.*—De damno dato in Institut. *lib. 4. tit. 3.*—In Pandectis *lib. 9. tit. 2.*—In Codice *lib. 3. tit. 34.*

libido privatae vindictae, et laesio honoris alieni; ergo est vera injuria pœnis obnoxia (l. 5. C. h. t. et arg. l. 1. C. de famos. libel.) At si verum crimen objiciatur in judicio, et reipubl. intersit illud revelari, non fit injuria, modo crimen probetur (l. 3. C. de off. rector. Provin.): secus si reipubl. non intersit crimen revelari; nam illo, et non isto casu studetur bono reipublicae, ne crimina maneant impunita. De jure Can. ex lege charitatis regulariter requiritur prœvia monitio, nisi aliud postulet qualitas delicti bono communi nocentis.—II. Si quis injuriosa facta aut verba alteri inferat cum *protestatione honoris*, v. g. si alterum voces adulterum, vel alapam ei infringas, dicendo: *salvo honore tuo*; nam protestatio facto contraria nihil operatur: imò factum contrariam declarat voluntatem.—III. Si quis verbalem injuriam passus, aliam injuriam faciat, delictum objiciendo, quod nihil prodest ad priorem injuriam tollendam: ut si alter te compellavit furem, et tu illum reciprocè compellas latronem vel adulterum; nam *non relatione criminum, sed innocentia reus purgatur* (l. 5. pr. ff. de publ. judic.): tum quia talis retorsio delicti fit animo vindictae privatae; ergo est vera injuria. At si delictum objiciatur ad tollendam injuriæ notam, v. g. *mentiris, donec probes delictum mihi impactum*: vel ad necessariam defensionem, v. g. si actori objiciatur excommunicatio, testi infamia, adultero peccenti dotem adulterium, damnificanti agenti ad interesse damnum simile ab eo factum, nulla committitur injuria, cum delictum non objiciatur animo injuriandi, sed precisè animo se defendendi et alterum repellendi à judicio: quo sensu explicatur l. 3. ff. de J. et J., l. 10. §. quoties ff. de compens., l. 14. §. 6. ff. de bonis libert., l. 25. ff. de procurator., c. 1. 2. 8. de except., c. fin. de adult.

191. Q. II. *Quis, et cui injuriam inferre possit?*

R. 1.º Omnis doli capax, qui potest habere animum injuriandi, injuriam inferre potest (l. 3. §. 1. ff. h. t.): imò si facta aut verba injuriosa ponantur, semper præsuntur animus injuriandi, nisi probetur contrarium, v. g. joco aliquid dictum esse. Nam in materia generaliter prohibita præsuntur dolus et actus animo malo factus, nisi agens contrarium probet (l. 5. C. h. t. l. 1. C. ad Cornel. de Sicar.)—II. Infantes, furiosi, amentes, perfectè ebrii, cum doli capaces non sint, non possunt injuriam inferre (l. 3. §. 1. ff. h. t.) Semiebrii, vel qui inebriarunt se, ut audaciores essent ad conviciandum, non exeusantur ab injuria illata, uti nec iracundi (l. 5. C. h. t.) Parentes, Superiores, magistri etc., si quando prorumpant in verba aut facta contumeliosa contra suos, regulariter non præsuntur facere injuriam; quia talia agunt ex causa correctionis, et sine animo injuriandi, nisi aliud colligatur: ut si concionator aliqua proferat, quæ in particulari unius vel alterius honorem lædunt; vel si magistratus, non servato juris ordine, aliquid decernant (l. 7. §. 2. 3. et l. 32. 33. ff. h. t.)

2.º Injuria inferri potest cuicumque personæ, etiam amenti (l. 3. §. 1. eod.), vel absentis: ut si ad domum ejus cornua appendantur, vel aliud quid dedecorosum. Item *directè in se, et indirectè in persona con-*

jecta: sicut injuria illata prolibus, religiosis, novitiis et uxori, redundat in patrem, Religionem et maritum (l. 1. §. 2. eod.) At injuria illata marito vel fratri non redundat in uxorem et fratrem, cum casus isti non sint jure expressi; §. 2. Inst. h. t., ubi seq. §. 3. dicitur, quod servis nulla injuria fieri intelligatur; sed si atrox sit, et in contumeliam domini, ipsi domino injuria fieri videatur. Sed doctrinam istam sanè intellige, quod scil. servo non concedatur actio injuriarum: alioquin pro foro interno contra servum vera et mortalis injuria committi potest: imò et pro foro externo à prætore inulta relinqui non debet; maximè si verbera servo inflicta sint (l. 15. §. 35. ff. h. tit.)

192. Q. III. *Quæ actio oriatur ex injuria?*

R. 1.º Actio civilis, ex L. XII. Tab. qua propter membrum ruptum agebatur ad pœnam talionis, et propter os fractum ad pœnam pecuniariam. Sed hæc actio in desuetudinem abiit (§. 7. In. h. t.) Hodie viget actio prætorica ex edicto prætoris descendens (l. 7. pr. l. 15. §. 2. et §. 25. ff. h. t.), et actio civilis descendens ex Lege Cornelia pro casu injuriæ, quo quis *se pulsatum, verberatumve; vel domum suam vi introitam esse dicit*; §. 8. Instit. h. t. l. 5. pr. ff. eod., ubi seq. §. 1. Jctus. differentiam ponit inter *verberare et pulsare*: quia *verberare est cum dolore cadere, pulsare sine dolore*. Utraque hac actione agitur, vel *civilliter* ad pœnam privatam, quanti injuria ab actore æstimata et à judice moderata, seu definita fuit, ut actori pro suo interesse applicetur: vel *criminaliter* ad vindictam publicam: et tunc extraordinaria pœna indicitur pro qualitate delicti et personæ, sive corporalis, sive pecuniaria fisco applicanda (§. 10. Inst. et l. 37. et fin. ff. h. t.) Cum verò utraque ista actio sit *pœnalis*, tendens ad eundem finem seu ad pœnam pro injuria infligendam, altera alteram consumit, et una electa, non est regressus ad alteram, ne idem bis vindicetur (l. 6. in fin. ff. eod.)

2.º Actio pœnalis injuriarum, ex L. Cornel. descendens est perpetua, quia civilis; descendens verò ex jure prætorio est annalis, sicut actiones aliæ prætoricæ pœnales (l. 5. C. h. t.): item est actio *famosa*, quia condemnatum ex injuria facit infamem (l. 7. pr. ff. et l. 5. C. h. t.) Habent autem viri illustres privilegium ex Const. Zenoniana §. 10. In. et l. fin. C. h. t., quod conventi actione injuriarum, judicium suscipere possint per procuratorem: quo casu sententia lata in procuratorem nec ipsum, nec principalem infamat. Item evaditur infamia, si judex in sententia expressè famam et honorem conservet condemnato. Ceterum in judicio criminali injuriæ regulariter non admittitur procurator, quia judex in arbitrio habet infligere pœnam, etiam corporalem, quæ hic eluderetur; nam principalis eam non sustineret, quia condemnatus non fuit, neque procurator, quia iste est innocens.

3.º Præter actionem pœnalem tum prætoriam, cum civilem, datur adhuc contra injuriantem actio civilis *rei persecutoria*, quæ dicitur *resantatoria*, seu *ad Palidonium*, moribus potiùs, quam jure scripto in-

troducta, qua agitur ad famam recuperandam, ut scilicet verbalem injuriam inferens, dicta contumeliosa judicialiter revocet, et injustè à se prolata fateatur. Quòd si verò alterum non infamavit, sed tantùm objecit defectum naturalem, v. g. quod spurius, gibbosus, vel surdaster sit, non est locus huic actioni, sed solum christianæ deprecationi.

Porrò licet actio pœnalis injuriarum civilis et criminalis cumulari nequant, ut antè dictum, tamen actio *recantatoria*; item, si damnum culpa datum sit, *actio L. Aquilie* cumulari possunt cum actione pœnali injuriarum; cùm tendant ad diversos fines, scil. persecutionem rei, putà famæ, vel interesse ratione damni, et persecutionem pœnæ pro quantitate injuriæ (*l. 7. §. 1. ff. h. t.*) Sic etiam cumulari possunt actio furti, et condictio furtiva (*§. fin. In. de oblig. ex delict.*)

Dices: Actio recantatoria est criminalis, quia infamat; ergò non cumulatur cum pœnali.

R. N. A. Neque ratio est ad rem, quia multæ actiones infamant; ut actio depositi, mandati etc., neque tamen sunt criminales, sed civiles. Ceterùm probabilius est, actionem recantatoriam non esse famosam; cùm id nullo jure constet, nec colligatur ex Const. Caroli V, qua actio ista videtur introducta.

4.º Actio ob famosum libellum criminaliter intentata tendit ad pœnam capitalem, si crimen capitale impactum fuit (*l. un. C. de famosis libell.*) et Const. Carol. art. 110. vult imponi pœnam talionis. Secus est pœna exilii et deportationis, et hodie arbitraria qua tenetur auctor famosi libelli, et divulgator (*cit. l. un. et Can. 1. qui in alterius 5. q. 1.*): Typographi verò amittunt impressa exemplaria et potestatem imprimendi, aliisque arbitrariis pœnis subduntur.

5.º De jure Can. percutiens clericum incurrit excommunicationem (*Can. 29. si quis suadente 17. q. 4.*), et si S. R. E. Cardinalem, vel Episcopum percuciat, quasi reus criminis læsæ majestatis punitur (*c. 5. de pœn. in 6. et Clementina 1. eod.*) Hæc de actionibus injuriarum, quæ competunt injuriam passo sive directè in se ipso, sive indirectè in persona subjecta (*§. 2. Instit. l. 1. §. 3. ff. h. t.*)

193. Q. IV. *Quomodo expiret actio injuriarum?*

R. Seqq. modis:—1.º *Retorsione apta*, dicendo: *mentiris*.—2.º *Satisfactione* (*l. 7. §. 6. ff. h. t.*)—3.º *Remissione* expressa vel tacita injuriæ; quam tamen facere nequeunt personæ subjectæ, ut filiusfam. religiosus: benè verò pater, vel prælatus, etiam istis reclamantibus (*l. 17. §. 12. ff. eod.*), ubi tamen *seq. §. 13.* excipitur casus quo patris persona est vilis, filii verò honesta: et tunc pater nequit, remittere injuriam filio illatam. Remissione pœnæ non censetur remissa reparatio damnorum ex injuria secutorum, utpotè diversa.—4.º *Præscriptione* unius anni probabilius utilis, intra quem actiones prætorie extinguuntur (*l. 5. C. h. t.*) Sed actio recantatoria, et ex L. Cornelia, cùm utraque sit civilis, durat perpetuò seu 30 annis.—5.º *Morte* injuriantis vel injuriati ante litem contestatam; quia actio pœnalis ex delicto

regulariter ad hæredes non transit (*l. 13. ff. h. t.*) Sacramento tamen pœnitentiæ non tollitur ista actio, quia potest quis esse amicus personæ, et inimicus causæ.

§. II.

De damno dato.

194. Hic non agitur de damno *lucroso* ex bonis alienis, dum damnificans ex bonis alienis ditescit: ut per furtum, rapinam, usuram, etc.; sed de damno *non lucroso*, dum alterum damnificans, nullum exinde commodum reportat; quo sensu damnum est: *Delictum privatum, quo res aliena animata vel inanimata dolo, vel culpa destruitur sine ullo damnificantis lucro*: ut si animal destruat, vinum effundatur etc. Hoc delictum coeretur ex L. Aquilia, cujus tria erant capita: primo capite cavetur, ut qui alienum servum vel quadrupedem injuria occiderit, tantum det, quantum ea res illo anno plurimi fuit (*pr. Inst. et l. 2. pr. ff. ad L. Aquil.*); nomine quadrupedis intelligitur pecus gregatim pasci solitum, ut equi, asini, muli, oves, boves, capræ, sues; non verò feræ bestię, aut canes; *ibid.* Secundo capite quid statutum fuerit, non constat: atque ità *caput secundum L. Aquilia in usu non est* (*§. 12. in eod.*) Cujac. et alii existimant caput istud fuisse non de damno rei nostræ, sed de quovis alio damno, v. g. de intercepta nobis utilitate (*Gottofr. cit. §. 12.*) Tertio capite cavetur de omni cetero damno rei nostræ, si præter servum et pecudem occisum, damnum causetur, urendo, frangendo, rumpendo; et tunc res solvitur, quanti plurimi valuit ante 30 dies (*§. 13. Inst. et l. 27. §. 5. ff. eod.*): ut si servum vel pecudem vulnerasti, animal gregatim pasci non solitum occidisti, si face servum adussisti, vitrum fregisti, vestem dilacerasti etc. Exempla plurima reperies *tit. ff. ad L. Aquil.*

195. Q. I. *Quid requiratur ad rationem damni?*

R. Ut fuerit res destructa, sive integrè, sive ex parte contra usum suum naturalem: ut si uvæ immaturas decerpisti, agrum devastasti, vinum effudisti, hominem, hoc est, servum eluscasti vel occidisti etc. Econtra si res non est corrupta, sed ad suum naturalem usum adhibita, non est damnum sub L. Aquil. contentum: ut si uvæ maturas ad comedendum decerpisti, vinum ebibisti, vestes alienas portasti etc.; ità passim *d. t.*—2.º Ut fuerit res destructa injuria, seu *non jure*, hoc est, per dolum aut culpam (*l. 44. ff. eod.*) An verò requiratur culpa in committendo, et non sufficiat in omittendo, controvertunt DD. Videtur res conciliari posse dicendo, sufficere culpam in omittendo, si omisio est causa moralis commissionis seu facti: ut si servus fornacarius obdormiat ad ignem, vel per alium ligna injiciat, et inde oriatur incen-